



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400905-p0001-9

DFG

9663

1768, 17.

Ab: 69


S P E C I M E N
C O N T I N E N S
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M
D E
C I V I L I
O B L I G A T I O N E E T A C T I O N E
E X
P R A E C E P T I S H V M A N I T A T I S

Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. I V R. N A T. E T G E N T. P V B L I C. O R D I N.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.
S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E I X. M A R T I I A N N O C I C I O C C L X V I I I .

P V B L I C E D E F E N D E T
F R I D E R I C V S C H R I S T I A N V S H E R R M A N N
C H E M N I C E N S I S M I S N I C V S.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.





VIRIS
EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMIS,
DOCTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
GRAVISSIMIS
CIVITATIS PATRIAE MODERATORIBVS
C O N S V L I B V S,
P R A E T O R I B V S,
S Y N D I C O
AC
VNIVERSO PATRVM CONSCRIPTORVM
SPLENDIDISSIMO CONSESSVI
PATRONIS SVIS OMNI, QVO DECET, HONORIS
CVLTV DEVENERANDIS
S A C R V M.

VIRI
EXCELENTISSIMI,
CONSULTISSIMI EXPERIENTISSIME, AMPLISSIMI,
DOCTISSIMI, PRUDENTISSIMI

PATRONI SUMMOPERE COLENDI

C O N S A L I B A S
P R A E T O R I B A S
S Y N D I C O

ANIVERSO LATRUM CONSCIPITORVM
SILENDISSIMO CONCESSA
PATRONIS SAR OMNI QD DECENTI
Ne forte memoriam insignium documentorum
VESTRAE benevolentiae, quibus me
ornare haud estis designati, viderer depo-
suisse, haud idoneam occasionem, qua animum VOBIS
obstrictissimum palam possem profiteri, ingratus nolui
praetermittere. Ad VOS enim, PATRONI

*OPTIMI, qui res meas adiuuistis egregie beneficiis,
auctoritate inprimis et gratia EXCELENTIS-
SIMORVM PRAETORVM in me collatis,
quae si oris imbecillitas pateretur, amplam mibi suppe-
ditarent dicendi copiam, vel hoc nomine pertinet hic
libellus, quem VOBIS tradere testem atque inter-
pretem meae, qua VOS prosequor, obseruantiae et studii,
vt ab aliquo quasi onere leuarer, fatus virtutibus
VESTRIS non erubui. Quod meum consilium,
si VOBIS, vti spero, vlo modo probabitur, VE-
STRO eximio fauori magnum adhuc cumulum acces-
susse arbitrabor. Evidem nullo vñquam tempore desi-
nam pro VESTRA incolumente vota facere religio-
fissima, quibus, vt DEVS benignissime adnuat, omniaque
funesta omina a DVLCISSIMAE PATRIAE
finibus procul abesse, et Regimen VESTRVM
semper fortunatissimum esse iubeat, VOS autem
velit omnibus, quibus humana felicitas aestimatur,
cumulatissimos reddere, et in Reipublicae, quam gubern-
natis, praeclarum ornamentum ad seros usque annos*

conseruare, ex animi sententia precor. Quod reli-
quum est, ut habeatis me meaque omnia VESTRO
in signi Patrocinio, quo honorificentius atque prius ni-
bil habeo, quam commendatissimum, VOS enixissime
rogatos cupio.

NOMINIBVS
EXCELLENTISSIMIS
CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS
SPLENDIDISSIMIS

Dabam in Acad- Lips.
Ipsis Nonis Martiis,
A.R.S. ccccccclxxviii.

ADDICTISSIMVS
FRIDERICVS CHRISTIANVS HERRMANN,
RESPONDENS.



DE
CIVILI
OBLIGATIONE ET ACTIONE
EX
PRAECEPTIS HUMANITATIS.

§. I.

M orales doctrinas omnes peraeque internam producere obligationem, siue iustitiam tanquam virtutem consideres, siue reliquas virtutes subintelligas, siue demum ea, quae primaria omnium moralium officiorum sunt, videlicet, quae DEO debentur, spectes, vix quisquam, qui practicas illas philosophiae partes tractauit, aliquo acuminе iudicii, negabit. Quamuis enim humana illa iusti-



iustitia, quae ICtorum diligentiae obiectum est, haud curet, vtrum legibus quis pareat virtutis amore atque quo iuste agendo suae simul consulet animi atque conscientiae tranquillitati, an vero formidine ut aiunt tantum poenae, seu, vt statui hominum naturali atque libertatis conuenientius dicam, ne bello cogatur suaeque externae pacis tranquillitatisque iacturam patiatur; tamen respectu studii felicitatis animique indolentiac iustitiam inter primarias virtutes referri posse, haud dubitandum. Quidni enim is, qui id, quod cuique debet eo studio praefstat, et quod sciat, voluisse DEVm, quem impense amat, vt iuste vivat, et quod proximum amet, cuius amore officium implet, ea quoque fruatur animi indolentia, qua fruitur mens conscientia recti.

§. II.

Hinc ergo tantopere haud reprehendendi veteres ICti, qui cum VLPIANO in L. 10. z. de iust. et iur. *Iustitiam* definiunt, quod sit *constans atque perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*. Haud enim definire eam iustitiam, quam exigit forum atque ciuitas; sed iustitiam tanquam virtutem ex doctrina philosophorum. Philosophi enim putabant eam iustitiam, quae consistit in conformitate actionum externalium cum lege, pertinere tantum ad iudicia et ICtorum scholas, eam vero, quae ad hominum moralitatem seu animi



5

animi emendationem ad veram felicitatem seu sumum bonum consequendum pertinebat, suae disciplinae vindicabant. Hinc Stoici, qui virtutum omnium primariam causam in constantia animi atque perpetuitate quaerebant, constantemque atque perpetuam h. e. immutabilem seu imperturbabilem voluntatem virtutis genus reputabant, non videntur in sua disciplina admodum a vero aberrasse, qui iustitiam eam virtutem, seu, quod idem est constantem atque perpetuam voluntatem definiebant, qua *ius suum quisque cuique tribuebat.*

§. III.

Quidquid vero placuerit veteribus philosophis, hoc sane certum est, alias esse obligationes *externas*, alias *internas*. Hae adimplendae nostrae tantum felicitatis et animi tranquillitatis causa, illae contra causam, cur adimplendae, in alio positam habent, cui ius omnino competit, id a nobis exigendi, ad quod sumus obligati. Haec officia cum nostri causa adimplemus, omnem respuunt *coactionem* et hinc *imperfecta* dicuntur, quo referenda sunt pietatis, humanitatis seu honestatis officia. Illa contra non nostri tantum, sed et maxime alterius causa adimplemus, et recipiunt seu admittunt *coactionem* indeque *perfecta* dicuntur, et sunt officia iustitiae. Consequimur inde iustitiam iis occupatam esse officiis, quae perfecta sunt, seu

A 3


ad



ad quae adimplenda is, qui obligatus, cogi possit. Debent ergo quae naturae Lex scribit officia, ita esse comparata, ut ad eas praestandas alteri competit ius coactionis. Eas vero, quas naturalis lex perfectas sanctificuit obligationes, ciuale ius, quod fundamenta habet in hoc iure, aequre agnoscit, hincque sunt pariter obligationes perfectae ciuiles. At vero, si ad imperfectas illas obligationes veniamus, cum respuant coactionem, recte quaeri potest, qualia sint officia ex ciuilibus Legibus. Quanquam enim virtutum naturam haud immutet ciuitas, atque ciuili imperio vix quisquam ad veras virtutes perducatur, nisi quod immitetur virtutem coactus, simulandoque virtutis gloriam falso captet, tamen videndum vtique est, an ciuitas interdum, si finis ciuitatis ita suadeat, imperfectas obligationes perfectas recte efficiat.

§. IV.

Haud permittit libelli breuitas, ut ex vniuersali iurisprudentia propositam quaestionem decidamus, neque ex diuersis ciuitatum iuribus, quas humanitatis obligationes perfectas effecere nomothetae, eruamus; potius civilis nostrae prudentiae fontem sumamus, scilicet romanum illud ius, atque an humanitatis honestatisque praecepta vim et obligationem ciuilem nostra sint, examinabimus. Affirmari posse arbitror, non tantum obligationibus imperfectis legibus, magistratuim-



tuumque edictis et Imperatorum constitutionibus vini
et obligationem ciuilem interdum perfectam tributam
esse, verum etiam in eam declino sententiam, interdum
ICTos in definiendis causis controversis imperfectis
officiis inhaesisse atque in eum adeo effectum, ut tan-
quam ex perfecto iure actiones concederint.

§. V.

Quod ad primum attinet, an per leges ciuiles,
edicta magistratum Imperatorumque constitutiones
humanitatis honestatisque officia perfecta effecta fue-
rint, vix alia egent probatione, quam ea, quam
VLPIANVS in *L. 10. π. de Iust. et Iure* nobis exhib-
et. *Iuris paecepta*, inquit, *sunt haec, honeste vi-
uere, alterum non laedere, suum cuique tribuere.*
Vix qui accurate rem cogitant, sibi persuadebunt,
tradidisse hoc loco Vlpianum nostrum prima natura-
lis iuris axiomata seu principia. Proderet sane anti-
quaes philosophiae imperitiam maxime Stoicæ, qui
philosophi solum id bonum arbitrabantur, quod ho-
nestum, hoc est, cum virtute conueniens. Virtus
vero non ad ius atque Iurisprudentiam, sed ad ethi-
cam seu ad eam doctrinam referenda, quae summi
boni notionem docet, seu quae veram internamque
felicitatem, cuius humana natura capax est, con-
templatur atque viam ad eam consequendam mon-
strat. *Quis vero Iuris, quod pacis tranquillitatisque*
exter-



externae conseruandae causa aeternus legum natura-
lium conditor dedit, principium peteret ex eo pree-
cepto, quod ad internam felicitatem respicit, hoc est,
quis perfecta officia ex principio officiorum imperfe-
torum deducat? Tradere ergo mihi videtur Vlpia-
nus quemque sequitur Imperator IUSTINIANVS
in §. 4. *I de Iust. et Iur.* ea preecepta prima, ex qui-
bus deduci possunt omnia Iuris ciuilis capita. Ab-
soluitur enim omne nostrum ius non tantum obliga-
tionibus negatiuis, quae ex primo illo abstracto prin-
cipio deducuntur: *Neminem laede*; sed practerea et
positiua affirmatiuasque obligationes ex preecepto
affirmatiue concepto: *suum cuique tribue*, *sancit*; et
imperfectis obligationibus ex preecepto: *honeste viue*
demonstrandis, ciuilem autoritatem atque vim addit.

§. VI.

Iam exemplis quibusdam rem conficiamus.
Monstrandum sane est, deseruisse interdum leges iu-
stiam naturalem atque humanitatem secutas fuisse.
Possem prouocare ad Cinciam illam legem, quae pro-
hibuerat, quominus quis pro oranda causa manus ca-
peret, neque quis ultra certam quantitatem donaret.
Vtrumque legis caput virtutis argumento suffultum
esse videtur. Quis enim ex preeceptis sanioris mo-
rum doctrinae negat, cuiusuis honesti hominis, qui-
que



que virtutem amat, officium esse, innocentem defendere, vel alteri succurrere, ut suum recte consequi possit. Communis ille amor hominum erga homines hoc suadet officium, ius vero naturale non prohibet, quominus hoc interueniente vel pretio aliquo determinato paecto, vel liberalitate peragam; ciuilis contra lex virtutis praeceptum sequitur, improbata illa naturalis iuris licentia ex innocentis causam defendendi studio aliquid sibi acquirendi. Sed grauiora adsunt illustrioraque exempla. Haud raro enim Praetor, quoties in edicto a stricto iure recedit atque aequitatem sequitur, sequitur humanitatis principia. Ex innumeris vno hanc vindicabimus Praetoris humanitatem. Est imperfeta obligatio ex solis praeceptis virtutum deducenda, vt proximi utilitatem promoueamus atque ab eo omne damnum auertere studeamus. Iam examinabis Edicti Praetoris de *damno infecto* primum moralitatis fundamentum. Nonne Praetor hocce edicto id agit, vt vicinum a periculo imminentे defendat, atque securum reddat, ne postea damnum patiatur, si quod adhuc infectum est damnum et metuitur, factum contingat. Praeterea **VLPIANVS** ipse in *L. 4. §. 5. π. de damn. infect.* cum verba edicti partis praemisisset: **DVM EI QVI ABERIT, PRIVS DOMVM DENVN- TIARI IVBEAM,** laudat *verecundiam* Praetoris; quod quem forsitan contumacem extrahi de domo sua iubere potuisset, ei denuntiari tantum iuberet.

B

recun-



recunde, inquit, autem praetorem denuntiari iubere, non
extrahi de domo sua.

§. VII.

Neque deficiunt exempla *Imperatorum* qui suis Rescriptis et Constitutionibus honestatis seu humanitatis praeepta secuti sunt, quo effecere, ut quod cum sola conueniret virtutum doctrina, in perfectum abiret ius. Cum natura rebus pretium atque certa aestimatio haud insit, si de venditione ex iusto naturali agatur, id iustum erit vendundae rei pretium, quod partium confensione constituitur. Hinc si semel determinato pretio conventione res aliqua vendita sit, dubium non est, eodem naturali iure vtrumque contrahentium teneri ad seruandum contractum venditionis. Quare non erit venditori de eodem iure exceptio contra emitorem, quod minoris rem vendiderit, vt obinde a venditione recedere possit. Iam vero audiamus DIOCLETIANVM in L. 2. C. de resp. vend. Rem maioris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: *HVMANVM* est, vt vel pretium te restituente emporibus fundum venundatum recipias, autoritate iudicis intercedente: vel si emitor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias, caet. Ipsomet Imperator testatur se non sequi stricti iuris placita, sed id comprobasse, quod *humanum* est. Poterat enim contigisse, vt ex necessitatibus alicuius, qua premebatur causa, compellere-

tur

■ ■ ■ ■ ■

tur ad venundandum fundum. Cum vero euenisset,
vt emtorem, qui quod ex communi concitium arbitrio conueniens esset pretium solueret, haud reperi-
ret, in illud consentire cogebatur pretium, quod em-
tor, quem inuenerat offerebat, quo pecunias acciperet
seque ab ea, qua premebatur necessitate, liberaret.
Quid ergo humanius, quid honestati conuenientius,
quam ei succurrere, qui tantam patrimonii sui immi-
nutionem perpeſſus erat, vendendo fundum maioris
pretio minori. Hoc ergo Diocletiani rescripto id,
quod humanitatis regula suadebat, cepit iuris ciuilis
fieri beneficium.

§. VIII.

Sed quid multa de hac quaestione, quae quidem
vix cuiquam dubia videbitur, qui libros iuris ciuilis
introspexit. Potius aliam dubitationem exponamus,
quam agitatam scimus inter Duuumiros illos Batauos
Gerb. NOODTIVM et Corn. van BYNKERS-
HOEK. Non omnem nec singulas huius discepta-
tionis partes atque argumenta excutio; Legendo
enim NOODTIVM in *Iulio Paulo* et in *Amica Re-*
spons. BYNKERSHOEKIVM in *Tr. de Iur. oceid.*
liber. et in *Not. ad Amic. Respons.* quiuis facile cardi-
nem controversiae cognoscet. Saltem id arbitror,
non omnino in hoc errasse NOODTIVM, veteres
videlicet ICtos saepe vlos esse humanitatis atque vir-
tutum praeceptis, atque ex his causas definiuisse,



quamvis eorum suasiones nec ius essent, nec legis autoritatem obtinerent. Egregie distinguit opionem I^Cti ex sui temporis, quo scribebat, anallogo, ab ea, quam postea Iustinianea compilatione auctoritatem consecuta fuerat. Poterat enim fieri, ut, quod antea solis humanitatis praeceptis continebatur, si maiestatis autoritas superueniret, iuris obligationem obtinere, nec hoc negavit *Corn. v. BYNKERSHOEK*, sed iam videndum, an et ciuilem quendam effectum haec I^Ctorum dogmata ex humanitatis praeceptis petita, tempore quo scriberentur, haberent.

§. IX.

Noodius ut suam defenderet causam, prouocat ad autoritatem V^LPIANI in L. 12 §. 3. π. de Rit. Nupt. Si uxor mea post diuortium alii nupserit, et filiam suscepit, putat Julianus, hanc quidem priuignam non esse, verum nuptiis eius abstinentium. Putat ergo Nootius tempore Juliani saluis Iuris regulis potuisse quasi priuignam illam in matrimonium duci, sed non acque saluis Iuris praeceptis. Abiisse vero hoc praeceptum in Regulam Iuris cum Iustinianus autoritatem adderet. §. 9. π. de Nupt. Refutaturus haec BYNKERSHOEKVS putat, regulis Iuris Juliani adscribendam fuisse sententiam, ob MODESTINI in L. 24. π. de Rit. Nupt. et L. 197. π. de R. π. autoritatem qui adfirms, etiam, quid honestum sit, in coniunctioni, bus

■ ■ ■ ■ ■

13

bus considerari *praecepisse* veteres ICtos, et cum ea honestas omnibus placuisse, facile in regulas iuris transiisse, imo apud Vlpianum scriptum legi: *putat Julianus*, non vero: *suadet Julianus*. Sed si verum fatendum, sibi parum constans Bynkershoekius. Cum enim ipse ponat, *praecepisse* veteres ICtos etiam, quid honestum sit in coniunctionibus, considerari, adfirmat eo ipso, *praeceptum* fuisse, haud vero *regulam* iuris. Neque tantam vim egomet arbitrarer verbo in esse *non putat*, ut regulam iuris efficiat; opinionem hanc fuisse Julianum indicat, cuius opinionis, cum lex haud adesset, quae idem prohiberet, ea vis tantum esse poterat, ut suasionem contineret, cum petita ex honestatis *praeceptis*, quae suasio vero iuris *praeceptum*, i. e. quod iuris vim capiebat, effecta est, quod *coniicio*, cum Vlpianus eam Iuliani opinionem adducit, quasi ex ea decidenda causa matrimoniumque inter me atque vxoris meae cum alio marito post diuortium progenita filia prohibendum. Putarem itaque utique prodesse Noodtio hoc exemplum, quod prodesse negat Bynkershoek, cum opinio ICti, cui non competit potestas ferendi leges, quique suis sententiis ex honestatis tantum *praeceptis* petitis iuris vim tribuere haud valet, ius constitutere inequit. Recte ergo *sua-
fione officii moralis*, non *iure* prohibitae illae nuptiae. Abiisse vero demum vel maiestatis taciturnitate, vel

B 3 super.



superueniente legis autoritate in iuris prohibitionem,
natura suaisionum et res ipsa referit.

§. X.

Sed quid! si etiam eae, quas Noodtius adduxit probations nihil probent, tamen salua erit sententia, interdum ICtorum suaisiones non tantum ciuilem aliquam obtinuisse obligationem nulla tunc accidente legis obligatione, sed etiam ab iis ICtris solam suaisionem atque humanitatis praeceptum nihilosecius habitudini fuisse. Vix elegantius exemplum, quodque optume in suam adducere potuisset causam, videtur posse reperiri quam illud apud VLPIANVM in L. I. §. 3. π. de pericul. et commod. rei vendit. Prius verba adscribamus: *Licet autem venditori vel effundere vinum, si diem ad metiendum praefituit, nec intra diem admensum est. Effundere autem non statim poterit, priusquam testando denuntiet emtori: vt aut tollat vinum, aut sciat futurum, vt vinum effunderetur.* Thema, quod ipsum Ius continet, facillimum. Emerat Titius a Caio Amphoras vini, illudque non tantum degustauerat, verum adiecto venditioni pacto diem praestiterat, quo admetiendum sit. Ita non solum periculum ad emtorem veniebat, sed status ad admensum dies morosum efficiebat Titium, si nec compareret, nec curaret, vt admetiatur. Effectus ergo morae auget periculum Titii emtoris; Caius enim venditor.

cui



cui alia oportuniorque occasio interim obuenerat,
alia sibi comparandi vina, quique tunc doliis vteba-
tur, ex quibus admetiendum Titio vinum fuisse, pe-
riculo Titii vinum iuste effundere poterat salua
actione ad consequendum pretium, ea tamen cautio-
ne, vt prius testando denuntiet emtori Titio, vt aut
tollat, aut sciat futurum, vt, cum ipse doliis vsurus
sit, vinum effunderetur. Huc vsque de iure. Iam per-
git **VLPIANVS**: *Si tamen, cum posset effundere, non*
effundit, LAVDANDVS est potius. En suasio-
nem! Habes praeceptum humanitatis. Poterat ven-
ditor suo iure effundere vinum ob moram emtoris,
non tamen effundit, quia honestius est, officiumque
viri boni, cauere, vt alteri succurramus, quo, quantum
potest, minus damnum in re sua suoque patrimonio
fentiat, seu vt ipse ICtus dicit: *operam dare, ut quam*
minime derrimento sit ea res emtori. Nec haec suffi-
cient. Pergit amplius: *Ea propter mercedem quoque*
doliorum potest exigere, sed ita demum, si interficit eius,
inanis esse vasa, in quibus vinum fuit, veluti si locatu-
rus ea fuisse, vel si necesse habuit alia conducere do-
lia caet. Adfirmat ergo ICtus ciuilem quoque effe-
ctum hoc humanitatis praestitum officium habere
oportere. Mercedem enim ob id, quod non effun-
dendo vinum, laudabiliter egerat venditor, exiget ab
emtore. Non equidem semper haec seruata honestatis
suasio hunc habebit, effectum, sed noua aliaque contraria
huma-



humanitatis regula hunc ciuilem effectum producet,
scilicet cum effecerit vendor, ut adhuc habere possit
vinum emtor, ne ob moram frustra pretium re per-
dita soluendum sit, aequa laudabile fore, ne officium
humanitatis damnosum fiat venditori, ut ipse quoque
emtor eundem indemnem praeflet, ne mora emto-
ris noceat venditori honestius agenti. His ergo recte
perspectis patet, esse in Iure Romano quaedam hu-
manitatis praecepta, quibus nec lex quidem ipsa ad-
sistit, quae suasiones tantum sunt, quibus tamen non
omnis ciuilis effectus negari potest. *Ciuiles vero*
N O O D T I I *iuris praecepta, opposita iuris regulis.*

T A N T V M.



ULB Halle
005 880 491

3



ND18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

63
1768, 17.
No: 69.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVUM
DE
CIVILI
OBLIGATIONE ET ACTIONE
EX
PRAECEPTIS HVMANITATIS
Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
S O C I O
IN AVDITORIO PETRINO
DIE IX. MARTII ANNO CICICCLXVIII.
PVBLICE DEFENDET
RIDERICVS CHRISTIANVS HERRMANN
CHEMNICENSES MISNICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

